XXII. Ad Juris nunc quæstionem reduceret nos ordo: An nim. licitè etiam inire potuerint ejusmodi conventionem Civitates Imperiales? nec non ad Subjecti, cujus in favorem Judicium hoc amicabile introductum: Objecti: Finis: Effectus: atque Affinium considerationem; Verum enim verò in hactenus adductis subsistere, velaq; nolentes volentes contrahere, non una cogimur ex causa. Cum autem in Tractatu peculiari plenius paulo eadem delineare B. C. D. constitutum sit nobis, ut laborem hunc eò majori cum successu queamus suscipere, omnes & singulos Liberarum Imperii Civitatum Proceres, & quibuscunque Earundem emolumenta curæ sunt cordique, eâ qua par est, animi precaui ut submissione, arq; observantia, quæ in hac ipsa materia, vel ex publicis Civitatum actis, vel alia quacunq; ratione adhucdum deesse deprehendent, ea propensè nobis communicare, suorumque Archivorum claustra eatenus reserare, eoq; ipso, nos, defendendorum Jurium Civitatensium, non minus ac discendi, admodum cupidos, sicubi aliquo erravimus in loco, melius instruere ne dedignentur. Erunt illa insigni omnino nobis incitamento, ut Illarum in gratiam, de Homagio à Civitatibus Imp. S. C. Majestati: nec non: de homagio, Civitatibus Imp. à Civibus suis quotannis præstando: ut & de singularibus quibusdam Civitatum Imperii, Religionis intuitu mixtarum Juribus, jammodo bonam partem congesta, publici Juris facere, in longum dilaturi non simus.

TANTUM.

XVIII.

THESES

DE

FORO COMPETENTE NOBILIUM IMPERII IMMEDIATORUM ET EORUM PROROGATIONE JURISDICTIONIS ALTERIUS

PRO LICENTIA defensa à

GEORGIO LUDOVICO HOFMANNO Norimbergensi.

ALTORFFII, 1723.

PRO

PROOEMIUM.

SI qua est causa in judicium deducenda, ante omnia is, qui eam movere vult, exploratum habeat, quisnam sit judex competens, coram quo lis pertractari debeat, ne si minus caute in ea re procedat, præscriptione fori ab altera parte opposita, inanem se operam navasse experiatur. Commodum hoc mihi in mentem venit, cum dissertationem inauguralem cogitarem, atque non plane inutilem laborem me susceptum speravi, si thesibus quibusdam exponerem, ubi Nobiles Imperii immediati forum sortiantur; cui tractationi quædam de prorogatione jurisdictionis alterius Nobilium subjungere volui: quamvis enim jure Romano expeditum sit, ut si quis major vel æqualis subjiciat se jurisdictioni alterius, possit ei, & adversus eum jus dici; tamen cum status Germaniæ atque modus rempublicam nostram administrandi, multis parasangis distent ab institutis Romanorum, maximi nominis Jureconsulti, non sine ratione promiscuum prorogationis usum in Germania in dubium vocarunt. Ceterum hoc qualecunque institutum meum in meliorem partem, ut B. L. interpretari velit, enixe rogo.

SECTIO. I.

De foro competente Nobilium Imperii Immediatorum.

I.

FOrum unde dicatur, non una omnium eademque est sententia. Isidorus *in c. 10. X. de V. S.* a *fando*, Stephani *in tr. de jurisdictione L. 1. c. 27. n. 6.* a *ferendo* deducit; alii vero aliam hujus vocis derivationem sibi fingunt, quas tamen omnes recensere, aut, quæ probabilior sit, e tenebris eruere, supersedeo, cum exinde nullam orationi meæ lucem fœnerari possem. Pari modo hujus loci non est expedire, an secundum puioris latinitatis regulas, *forum* aut *forus* dicendum sit: sufficit enim, utrumque juris nostri interpretibus in usu esse. Varias hujus vocis significationes qui nosse velit, adeat Festum *de V. S.* ubi sex refert, ex quibus ea hujus loci est, quæ denotat locum expediendarum litium, juxta *c. 10. X. de V. S.* Diversa hujusmodi loca in republica, quo expedita sit justitiæ administratio, constituuntur, atque singulis horum suæ personæ suæque subjiciuntur causæ, quæ si confundantur, forum incompetens, e contra si congruus judex vel locus, in quo litis tractatio peragenda est, eligitur, competens dicitur, quo sensu vox competens ab Ulpiano *L. p. de jusisdict. L. 35. §. 2. de procur.* ab Heraclio *in rubr. T. III. C. I.* & a Pontifice *in rubr. tit. II. L. II. Decret.* a Justin. *in rubr. tit. 13. L. 3. C.* usurpatur. Ex hactenus adductis facile forum competens definiri potest, *quod sit locus congruus, exercendis litibus a jure destinatus.* Ceterum, cum plura & subordinata reus fora obtinere possit, de iis quoad Nobiles Imperii immediatos in hac Sectione ero sollicitus.

II. Varios quorundam lusus circa derivationem *nobilis* collegit Nolden. *de statu Nobilitatis civ. c. 1. concl. 1.* & Limn. *in J. P. L. 6. c. 6.* proprie *nobile* eximium quid atque præstans significat, quæ præstantia in rebuspubl. pro diversitate earum diversimode accipi solet. In præsenti, cum de Nobilitate Germanica sermo sit, ea ex moribus Germanorum omnino etiam æstimari debet. Collocabant autem isti ex genio suo præcipue in bellicæ virtutis usu & gloria præstantiam atque nobilitatem, quam divitiæ ut præmium fortitudinis sequebantur; quum etiam magis magnorum ingeniorum studium præclari facinoris famam quærendi accenditur, si ad Posteros fructus laborum suorum redundare solet; ita & hac spe animi laudis avidi apud Germanos confirmabantur. Testem hujus rei citabo luculentum, Gregorium nempe, Episcopum Turonensem, qui *in L. 8. c. 29. historiæ suæ* Fredegunden reginam, duos clericos, quos ad internecionem Childeberti emerat, sic alloquentem inducit: *Considerate sæpius fortes viros in bello corruere: unde nunc parentes eorum nobiles effecti, opibus immensis cunctis supereminent, cunctosque præcellunt.* Recte itaque eruditissimus Hertius nobilem Germanum definit *in diss. de F. nobili sect. 3. §. 8. cui præcellentia ab Imperatore, bonis olim, ob præclara in bellis facinora, plerumque assignatis, est tributa, quam in sobolem transfundere s. propagare possit.* Ceterum sub voce *nobilium* superioribus temporibus etiam Duces & Comites intelligebantur; ii vero, qui hodie simpliciter hoc nomine veniunt, olim ingenui, quandoque liberi homines, milites absolute, & si se principi vel monasterio ad ministeria nobiliora obeunda addixerunt, ministeriales *audiebant*, Germanico vero idiomate **Edelknecht / Adelschalck / Dienstmanner** dicebantur, de quibus titulis plura singularia congesserunt Car. Cangius *in Glossario*, Schilt. *in comm. ad J. F. A. c. 1.* Hert. *de F. N. & de hom. propr.* Besold. *in thes. pr. voc.* **Adel.**

III. Generaliter in Imperio Romano-Germanico nobiles dividuntur in mediatos & immediatos: illi sunt, qui Imperio mediante principe aut alio statu, cujus subditi sunt, parent, vocantur **Landsassen** / & in Saxonia subdividuntur in Schrifftsassios, **Schrifft- oder Cantzley-sassen** / & Amtsassios, **Amtsassen**; hi vero Imperatori & Imperio ita sunt subjecti, ut alium statum pro Domino aut Magistratu non agnoscant, **die ohne Mittel dem Reich / und keinem andern Fürsten oder Herrn unterworffen** / ut in R. I. Spir. *de A. 1542.* vocantur. conf. etiam R. I. *de A. 1555.* §. **Und in solchen Frieden** ꝛc. & in Franconia, Suevia & ad Rhenum deprehenduntur, a quibus terris sæpius in LL. Imperii denominantur, v. g. in R. I. *de A.* 1500. **was man mit den Ritterschafften zu Francken / Schwaben und Rheinlanden handeln soll.** & in I. P. W. *art. 14. §. 17.* Rationem, cur in his partibus tantum

tum floreat nobilitas immediata, quidam ab interitu Augustæ familiæ Hohenstaufficæ, cujus progenies in Conradino A. 1268. d 29. Octobr. Neapoli decollato desierat, ducunt: alii altius adscendentes leges subjectionis respiciunt, quæ singulis Germaniæ populis, primum cum regno Franciæ orientalis adderentur, fuerunt latæ, & exinde profluxisse conjiciunt, in dictis terris tantum nobiles immediatos inveniri, quia in iis officia ita & ministeria immediate regno & regio fisco fuere adscripta, in reliquis vero provinciis mediatos, quia sub formula, *ut mediate pareant*, Francorum agnoverunt imperium. Supersedeo in præsenti hasce ad obrussam examinare sententias, ne ea res longius me ab incepto trahat; interim, quantum conjiciendo assequi possum, ab initio omnes nobiles sexti clypei videntur fuisse immediati, quum subordinatio clypeorum sive ordinum nullam inter ipsos potestatem subordinatam importet, sed dignitatis gradus salva immedietate discriminet. Postea vero sensim alia rerum facies inducta est: Duces enim, quibus jam præclara in bello facinora magnam apud suos autoritatem conciliaverant, propriam adaugere potestatem omni vi enitebantur, unde libertatem nobilium in quibusdam provinciis damnum cepisse negari nequit; in Alemannia tamen, quod Burgermeisterus magna industria evincit, vestigia nobilitatis immediatæ semper etiam sub ducibus remanserunt. Tandem, Conradino funesta morte peremto, ministeriales Sueviæ donationibus Phil. Suevi & Ottonis IV. insigniter locupletatos, atque principe tunc destitutos, magna adeptæ libertatis tuendæ cupido incesserat, unde ceteris nobilibus juncti alium Ducem respuerunt, & occasionem in liberum ac pulcherrimum corpus, quod nunc florere cernimus, coalescendi nacti sunt. Prolixius rem non deduco, cum Casp. a Lerch *de Ord. equ.* Braun. im Adel. *Europa*, Burgem. *in discursu* **von der freyen Reichs-Ritterschafft Stand** 2c. aliique, materiam hanc solicitiori jam explicatione in scriptis suis illustrarunt.

IV. In Thesi præcedente dictum est, olim (sub Francorum Imperio) omnes nobiles sexti clypei fuisse immediatos, hinc non prorsus alienum quidem esset a proposito: ubi de foro competente nobilium immediatorum ago, rem a suis initiis, & quæ per temporum intervalla obvenerint vicissitudines, evolvere; attamen cum mihi sedeat, quantum fieri potest, breviter omnia proponere, prolixitati materiæ non obsequor, ea tantum notaturus, quæ ad status hodierni illustrationem inprimis facere possunt. Duæ itaque periodi constituendæ sunt, quarum altera forum & rationem expediendarum litium a Nobilibus ab interregno usque ad Cameræ erectionem, frequentatam, altera vero ab erecto hoc tribunali exhibebit. Quod ad periodum primam attinet, ejus initium in ea tempora incidit, ubi intestinis motibus, respublica nostra atrocissime

atrocissime agitabatur, æstuabant ferocitate animi plerorumque, & cum deficeret Imperator, qui eos in officio continere posset, vi & armis disceptabant controversias, quæ LL. terminari & jure debebant, ut scriptores eorum temporum, & ex illis Lehmannus in *Chr. Spirensi L. V. c. 95.* satis superque testantur. In tali rerum statu, cum boni, quos fortuna reliquos fecerat, salutem suam in discrimine versari viderent, nisi malo huic obex poneretur, pactis ad mutuam defensionem initis, ne aliorum injuria opprimerentur, sibi cavebant; quo etiam omnia diffidia inter se orta quantum fieri posset commodissime tollerent, conventionalem sopiendarum litium modum eligebant. Non sine ratione itaque originem austregarum huc refert Conringius *in diss. de judiciis th. 53.* inprimis vero ganerbiatus, & in iis LL. judicialium constitutio, quæ in antiquissimis monumentis **die Burg-Ganerben- oder Adeliche Stamm-Austräge** vocari deprehendit Datt. *de P. P. L. I. c. 27. n. 85.* tunc temporis inter nobiles frequentes erant.

V. Solutum quidem interregnum, & Rudolphus I. Imperator electus est; nec tamen is, aut proxime subsequentes Impp. languentem restaurare rempublicam, aut armorum strepitus & turbas compescere potuerunt, diffidationes enim, quæ tunc temporis si modo solenniter indicerentur, erant permissæ, & campiones in judiciis, præcipue provincialibus, quæ nobiles sæpius adire solebant, frequentatæ non minimum reducendæ tranquillitatis publicæ impedimentum præbuerunt, ut Lehm. *L. VII. c. 89.* & laudatus Dattius *cit. L. I. c. 15.* late deducunt. Interim quo securitas in Germania magis *magisque* reduceretur, Imperatores in publicæ pacis præsidium, vel cum statibus, vel consentientibus iis hi inter se fœdera inierunt. Orta inde sunt præcipue inter nobiles fœdera Stelligerorum, Cornutorum, Leonum, Fustigerorum, **der Sterner / Hörner / Löwen und Bengler Bund /** v. Hert. *de Spec. Rom. Germ. Imp. rebuspbl. &c. Sect. II. th. 30.* & cum a Sigismundo mandata ad nobiles, quibus ad uniones faciendas exhortarentur, emanarent, nata est societas magna clypei S. Georgii, v. Datt. *L. II. c. 3.* ut taceam alias particulares confœderationes nobilium, quarum instrumenta videri possunt apud Lunig. in **T. R. A.** & in specie quæ ad Franconiam pertinent, *p. Spec. Cont. III. 2.* **Abs.** Hæ uniones, ut ad defensionem ab omni vi injusta, & justitiæ cursum promovendum directæ erant, ita ad eundem finem melius obtinendum circuli s. pagi constituti, iis Capitanei s. Duces præpositi, hisque Consiliarii adjuncti sunt, & ad dirimendas sociorum controversias modus quidam austregarum præscriptus est, ut ex instrumentis unionum apud Lunigium patet.

VI. Tandem misere hactenus laceratæ Germaniæ restituta quies est; Max. I. enim clavum Imperii tenente A. 1495. in Comitiis Wormatiæ habitis, pax

pax Imperii publica æterna, & ſemper valitura Lege conſtituebatur, & cum optime ponderaret Imperator, quod videre eſt in præf. O. C. *de A. 1495.* eam nec firmam, nec diuturnam fore, niſi erectione ſummi alicujus dicaſterii occaſio turbarum præcideretur, judicium camerale ordinatum, atque, quo ejus ſuſtentatio, & ſententiarum in illo latarum executio promtior eſſe poſſit, in circulos diviſum Imperium fuit. Ad hæc tempora initium ſecundæ periodi tractationis noſtræ ſupra poſitum eſt; ſeries itaque ſequentium temporum evolvenda, videndumque, quodnam forum in prima & ſecunda inſtantia hodie nobiles Imperii immediati ſequantur.

VII. Conſtituta Camera, forum in prima inſtantia etiam ibi ſortitos fuiſſe nobiles in dubium vocari nequit, v. §. 12. *O. c. de A. 1495.* poſtea v. a Carolo V. in O. C. *de An. 1521.* ſpeciales conſtitutæ ſunt auſtregæ, eaque conſtitutio deinde in O. C. *de A. 1555.* qua hodie utimur, repetita. Quum vero eo tempore fœdus Suevicum, cujus magnam partem nobiles conſtituerunt, adhuc perduraret, atque ab Imperatore, qui magnum tuendæ pacis publicæ momentum in ejus conſervatione poneret, prorogatio urgeretur, nobiles, qui ſocietatis hujus membra fuerunt, coram judicio fœderis conveniri potuerunt. „Denique collapſo hoc fœdere: quæque pars nobilitatis ordinem ſuum (ni„mirum juſtitiam adminiſtrandi, de quo in th. 5. actum eſt) ſervavit, & quos„dam ſibi elegerunt præſides, zu einem Außſchuß/ ut memorat Cruſius *in „actis anni 1534. L. XI. p. III. c. IX.* & ab hoc tempore rem ſeparatam habere nobiles Suev. Franc. & Rhen. cœperunt, quod eo magis tunc ſe exeruit, cum LL. & ordinationes inter ſe conſtituerunt. Suevica enim nobilitas A. 1560. LL. ſpeciales condidit, quæ a Ferd. I. confirmatæ ſunt, ad ejus exemplum ſe etiam Franconica componens A. 1590. novam ordinationem confecit, quæ per Rud. II. & ſeqq. Impp. confirmationes robur accepit. De Rhen. & Wetterav. nobilitate extat, die Rhein- und Wetterauiſche Ritter-Raths-Ordnung/ quam A. 1662. approbavit Imp. Leop. Præterea quidam pagi, per quos res judiciaria expeditur, de quorum origine mentio in th. 5. facta eſt, ſpeciales ordinationes judiciales, ſive auſtregales, ut vocant, conficiebant, & earum confirmationem cum conceſſione privilegii primæ inſtantiæ, ab Imp. petebant.

VIII. Res ipſa admonet, ut quæſtionem hic attingam, an ſinguli pagi per ſpecialem conceſſionem Imperatoriam privilegium primæ inſtantiæ, & ordinationem auſtregalem conficiendi facultatem impetrare debeant? aut, an vi generalis ordinationis Equeſtris hoc jure jam gaudeant? in dubio rem relinquit diligens rerum Germanicarum collector Lunig. in T. R. A. *p. Spec. Cont. III.* ſi in nota ad ordinationem auſtregalem pagi Baunach dicit: Der

„Canton Baunach hat kein besonders privilegium primæ instantiæ, und „ob zwar einige der Meinung sind / daß derjenige Ort / so dasselbe „nicht hat / auch keine Gerichts-Ordnung machen könne; so behaup„ten doch andere im Gegentheil / daß die Freyheit / eine Gerichts„Ordnung zu machen / schon in der allgemeinen Ritter-Ordnung „sattsam fundiret. Si dicendum quod res est, sine dubio posterior sententia, nimirum in generali O. Equ. jus singulorum circulorum jam esse fundatum, pro veriore habenda est; etenim in O. E. Franc. *p. 1. tit. 13.* dicitur expresse: **Die Adeliche Mitglieder sollen sich deren in des H. R. R. A. und Ordnungen versehener Wege Rechtens gebrauchen / oder auch ihre jedesmahlige Angelegenheiten bey eines jeden Orts Hauptmann und Räthen anbringen.** Si E. cujusvis pagi capitaneus & consiliarii de controversiis Membrorum judicare tenentur, sine dubio media ad hunc finem obtinendum necessaria ipsis etiam concessa intelliguntur. Interim id certum, quosdam pagos jure suo non uti, forte, quia invidiosum esse judicant, si par in parem jurisdictionem exercere velit.

IX. Ex hactenus dictis apparet O. C. & ordinat. Equ. fundamenti loco in tractatione de foro competente nobilium esse ponendas. Exinde elicio, nobilibus loco primæ instantiæ esse austregas. Sunt hæ vel Legales s. ordinationis vel conventionales, illæ ex O. C. sunt judicandæ, & præcipue 3. casus distinguendi veniunt. Nobiles enim vel conveniuntur ab *actore primi* Ordinis, & tunc secundum tit. III. p. II. O. C. duplex via attendenda est; 1.) ut actor sui Ordinis commissarium, qui ultra 12. milliaria non a reo absit, impetret, 2.) ut actor a reo sibi 3. Electores vel principes impartiales, & ultra 12. milliaria non distantes, nominandos postulet, ex quibus deinde ipse unum eligat, coram quo ad ductum ordinationis causa pertractanda; vel II. a prælatis Comitibus & aliis Nobilibus imperii immediatis actione pulsantur, & similiter modus duplex, ut in casu præced. in tit 5. p. II. O. C. præscriptus invenitur. III. casus est, si a civitatibus immediatis, vel aliis subditis mediatis, qui austregis non gaudent, conveniuntur. O. C. de hoc casu nihil disponit, consentiens tamen Dd. vox est, austregas cessare, & Cameram statim in prima instantia adiri posse. Stryckio quidem *in diss. de foro austregarum n. 29.* rationes, quæ pro hac sententia allegari solent, non sufficere videntur, in fine tamen ipse fatetur, eam in praxi esse receptam, ac in Camera præjudiciis probatam, teste Mynsing. *Cent. I. O.* 89. & Gail. *L. I. O. I. n. 17 -- 46.* aliisque.

X. Quod ad conventionales austregas attinet, præter conventiones particulares familiarum etiam conferendæ sunt ordinationes Equestres ab Imperatoribus confirmatæ & confirmandæ per Cap. Leop. *art. 3.* Ios. *art. 3.* & Car. VI.

art. 18.

art. 18. Disponit hac de re Ord. Equestris Franc. quam in specie semper præ oculis habeo, cum de nobilitate Franc. inprimis mihi differendi animus sit, *p. I. tit 13.* hunc in modum: **so sollen die Adeliche Mitglieder = = ihre jedesmahlige Angelegenheiten bey eines jeden Orts Hauptmann und Räthen anbringen / und nach der / bey denen Ritter-Cantonen hergebrachten ersten** instanz, **auch beliebt- und** publicirten **güt- und rechtl. Austräg / Ordnungen / und andern** Statuten / active & passive **von Einheimischen oder Auswärtigen ohne Unterschied allda recht nehmen und geben / oder wann es der Sachen Beschaffenheit nach Ausweiß dieser Ordnung erforderte /** (vid. *p. I. tit. 10. & 12. & p. II. tit. 5.*) **vor dem gesamten Ritter-Rath / oder einsweilen den jedesmahligen** directorio **klagend vorbringen.** Ceterum notandum, regulam, quæ *in §. I. T. II. p. II.* O. C. traditur, *austregas Legales cessare, quando adsunt conventionales*, hic locum non habere, cum in cit. *tit. 13. O. E. Fr.* verb. seq. **sondern sich deren in des Heil. R. Reichs Abschieden und Ordnungen versehener Weg Rechtens gebrauchen / oder auch ihre jedesmahlige Angelegenheiten / bey eines jeden Orts Hauptmann und Räthen anbringen** ꝛc. partium arbitrio relinquatur, quam viam eligere velint. In iis vero locis (. pagis, qui jus primæ instantiæ non exercent, per austregas ordinationis causæ deciduntur, atque inprimis frequentes sunt commissiones austregales, de quibus Uffenb. *de jud. aul. C. 15. Sect. III. subs. I.*

XI. Pertractantur causæ pro diversitate austregarum, vel secundum modum in O. C. præscriptum, de quo etiam agit Strykius *in speciali diss. de processu austregarum*, vel secundum speciales ordinationes austregales a pagis sive circulis equestribus confectas. Sententiæ latæ ab austregis executioni mandantur, v. O. C. *P. II. tit. 4.* **zum achten /** & O. E. F. P. I. *tit. 13. f. p. 39. & 185. & 195.* nisi intra decendium, si summa appellabilis sit, appellatum fuerit, tunc enim suspenditur, & causa ad secundam instantiam defertur, quam Camera & ob concurrentem jurisdictionem, (quod contra negantes late defendit Uffenb. *C. 19.*) judicium aulicum constituunt, v. O. C. *P. 2. tit. 6.* & O. E. Fr. *cit. tit. 13.* ulterior appellatio locum non habet, sed si partes sententia in hisce summis tribunalibus fuerint gravatæ, in Camera remedium revisionis, in judicio aulico vero supplicationis conceditur, in casibus tamen in Art. V. §. 56. I. P. W. expressis, ab utroque judicio datur recursus ad comitia, quod jus etiam nobilibus Imperii immediatis in cit. §. expresse est assertum. Non indistincte tamen ea, quæ de foro nobilium in prima & secunda Instantia proposui, procedunt, nonnullæ itaque limitationes adjiciendæ, 1.) videndum, an non causa, quæ in judicium deducenda, una ex iis sit, quæ tantum in judicio Imperiali aulico

immediate & in nullo alio foro tractari possunt, de quibus agit Uffenb. *de jud. aul. c. 10.* & in his beneficia primæ instantiæ supra recensita non attenduntur. 2.) Quia Cameræ jurisdictio non tantum in causis appellationis, sed etiam simplicis querelæ, (quæ nimirum hactenus in tractatæ primum, sive in prima instantia in judicium deducuntur, & quæ in nullo alio judicio, aulico excepto, ventilari debent) fundatur, omnino etiam harum ratio habenda est.

XII. Supra sub finem th. 5. in recensione fori, quod nobiles immediati ante Cameræ erectionem ut plurimum adire solebant, mentionem feci judiciorum provincialium. Erat eo tempore magna adhuc horum judiciorum autoritas, postea vero in I. P. W. *art. V.* §. 56. & A. 1658. in monitis ad Capit. Leopoldi *art. 15.* de plenaria eorum, & judicii Rhotwilensis abrogatione fuit cogitatum, quæ tamen consilia ad effectum deducta non sunt, quum status, qui ea ex concessione feudali Imperatorum tenebant, mascule obloquerentur. v. Pfanner *in histor. pacis Westph.* & Limn. in *I. P. T. V. add. ad L. IX. C. 3.* interim cum perscrutarer, quibus ex causis horum judiciorum autoritas ita fuerit imminuta, sequentes Schilterus in speciali scripto **von dem Kayserlichen Land-Gericht in Schwaben**/ quod Struvius *in p. IV.* **des neu-eröffneten historischen und Politischen** *Archivs* &c. exhibet, suppeditavit. 1.) Quod ea, quæ in his judiciis fuerunt conclusa, a judicio Imperiali aulico potuerint rescindi, 2.) quod statibus plerumque in F. data, aut iis oppignorata fuerint, & denique 3.) quod concurrentem cum statuum jurisdictione habuerint jurisdictionem. In specie si nobiles specto, erecta Camera *Imperiali*, horum judiciorum jurisdictionem declinare cœperunt, semper tamen ii, qui feudi jure ea tenebant, contradixerunt, autoritatemque suam quovis modo tuiti sunt, unde deinde gravamina orta, quæ profert Goldastus in **politischen Reichs-Händeln** p. XXV. quo vero nobiles sibi prospicerent, in Ordinationibus Equestribus ab Imperatoribus confirmatis, prohibuerunt, ne membra ordinis alieni judicii jurisdictionem agnoscant, & speciatim mentio judiciorum provincialium in Ord. Suev. *de A. 1653. art. 17.* & Ord. Rhen. *tit. 12.* facta est, in Ordinatione Franc. v. *Part. I. tit. 13.* generaliter tantum ponitur: **so sollen die Adelichen Mitglieder einander vor Chur-Fürstlichen oder andern Gerichten nicht fürnehmen oder beklagen**/ quam generalem loquendi rationem judicia provincialia etiam continere, sequentia hujus tituli verba indicant. Præterea haud paucæ familiæ nobiles specialia privilegia exemtionis ab Imperatoribus impetrarunt, sed cautionibus hisce non obstantibus, deficiente decisione publica, judicia provincialia, eadem sibi jura, quæ olim habuerunt, data occasione vindicare, exempla nostri temporis testantur: quod quo jure fiat, meum in præsenti non est expendere.

XIII.

XIII. Ostensum hactenus est, quodnam sit forum liberorum Imperii nobilium ordinarium, nunc evolvendi casus sunt, in quibus cesset. Decantata juris regula est, *actorem sequi forum rei*, hinc sua sponte venit, quoties nobiles actoris vices sustinent, v. gr. mediatum quendam civem vel subditum lite pulsando, causam in foro mediato esse pertractandam. Pertinet huc etiam casus, si nobilis à mediato ex *lege diffamari* provocatur, quum provocans in principali negotio reus est, & provocatus actoris vices subit. Mæv. *p. III. decis. 213.* nisi causa ad cameram spectet. v. O. C. *p. II. tit. 25.* & Blum. *proc. Cam. tit. 36.* §. *9.* Secundam exceptionem præbent causæ Feudales, si lis vel inter dominum directum & vasallum, vel inter convasallos de re aut facto feudali versetur, v. invictissimi Imperatoris Caroli VI. mandatum pœnale de non recurrendo ad curias feudales, in causis mere civilibus, quod insertum est Ordin. Equestr. Franc. p. 279. & 281. edit. nov. 3.) Si alia prædia v. gr. rustica possident, coram judice rei sitæ actionibus realibus conveniri possunt. *L. f. C. ubi in rem &c.* 4.) In casu *L. 49. pr. de judiciis*, si lis iis in alio foro denunciatur, rem ad suum judicem revocare nequeunt, cum assistendo status causæ non mutatur, adeoque privilegium fori non attenditur. v. Carpz *p. I. c. 3. def. 28.* 5.) Si mediato cuidam in lite succedunt. 6.) Si milites aut ministri principum fiunt, in causis ad militiam & officium spectantibus, quoad nimirum ex consensu suo & juramento præstito obligantur, coram judicio militari, aut principis forum sortiuntur. v. Besoldum *v.* Schutz. Denique, an prorogatione facta judicis alias incompetentis jurisdictionem agnoscere teneantur, in sequ. Sect. disquiram.

SECTIO II.

De prorogatione jurisdictionis alterius Nobilium Imperii immediatorum.

I.

QUoniam prorogatæ jurisdictionis Origo Romanis LL. sine dubio adscribenda est, res ipsa hortari videtur, pauca, quæ ad illustrandam hanc materiam facere possunt, ex eo jure repetere. Equidem si nomen specto, nusquam illius apud veteres jureconsultos mentio occurrit, & magis proprie terminos jurisdictionis proferri aut propagari, quam prorogari dici debere, ex Perizonio Noodius *de Jurisd. L. II. c. 12.* docet: interim, cum denominationem hanc, quam recentiores imposuerunt, communis interpretum loquendi usus approbaverit, eam in præsenti retinere non dubitavi.

II. Si L. 1. & 2. ff. de judiciis inspicio, prorogatio jurisdictionis definiri posse mihi videtur, *quod sit actus, quo jurisdictio Magistratus litigantium consensu extra fines suos producitur.* Lege Julia hæcce privatis concessa erat potestas,

v. L. 2. §. 1. c. tit. ne ab eorum arbitrio, jus publicum immutandi facultas dependeret. Differt hæc jurisdictionis ſpecies a mandata, quæ ab eo, qui ſuo jure jurisdictionem habet, transfertur, *L. 5. de jurisdict.* illa vero conſenſu partium, ut in definitione dictum, tribuitur. Imprimis autem hic notandum, quod alii minus curate obſervarunt, non pro prorogatione habendum eſſe, ſi quis in alio loco contrahat aut delinquat; nam ad prorogationem præciſe requiritur, ut ex judice incompetente fiat competens, quod de his caſibus dici nequit, quia forum contractus & delicti, ex ipſa Lege citra ullum factum prorogationis pro competente haberi debet. *L. 21. de O. & A. L. 3. §. 4. de judiciis L. 11. ff. de custod. reorum*, conf. Strauchius *ad L. p. C. de pactis c. 4. n. 13.* & Leiſerus *in diſſ. de prorog. Jurisd. aphor. 6.*

III. Modos prorogandi Dd. commenti ſunt 4. 1.) de loco ad locum, 2.) de tempore ad tempus, 3.) de perſona ad perſonam, 4.) de cauſa ad cauſam: de quibus quid tenendum ſit, docet Mauritius *de poteſtate principis Lege Regia & jurisdictione th. 31.* Ut ex definitione ſupra tradita patet, prorogatio conſtituitur conſenſu, qui cum vel verbis vel factis exprimitur, dividi poteſt in expreſſam & tacitam. Ad priorem litigantium conventio ſufficit, quæ ex L. Julia judiciorum validum obligandi jus accepit. Ad tacitam factum aliquod concludens, a ſciente perpetratum requiritur, quale ſe exerit in reconventione, cum qui in agendo judicis alicujus obſervat arbitrium, eum & contra ſe habere non dedignetur, ſi reconvenitur *L. 14. C. de ſent. & interlocut.* v. Hahn. ad Weſenb. *ad tit. de jurisdict. th. 10.* tale factum etiam eſt, ſi judicium fuerit ſuſceptum, hoc eſt, lis conteſtata, tunc enim per quaſi contractum jus alteri quæſitum auferri nequit, judiciumque, ubi ſemel acceptum eſt, finem accipere debet. *L. 30. de judiciis*, atque præterea per litis conteſtationem fori declinatoria exceptio excluditur. *L. ult. C. de except.* Non vero prorogatio facta præſumi poteſt, ſi quis in jus vocationi paruerit, arg. *L. 5. de judiciis*, aut ſi quis tantum edi ſibi genus actionis poſtulaverit, non enim videtur in judicem conſenſiſſe, qui genere actionis nondum cognito ſcire nequit, cedere an contendere malit. *L. 33. de judiciis.* Huber *in prælect. ad ff. ad tit. de jurisd. §. 12. ff.*

IV. Quidquid porro impedit conſenſum, obſtat etiam prorogationi; ſic ſi quis dolo inductus pactum prorogativum inierit, aut errore lapſus illud negotium ſuſceperit, vel viribus præturæ compulſus incompetentem judicem adierit, conventioni ſtare nullo jure tenebitur. *v. L. 2. pr. ff. de judiciis.* Inſimul requiritur, ut partes conſentire poſſint, & quia hic jus de lite cognoſcendi transfertur, facultatem alienandi, & legitimam ſtandi in judicio perſonam habeant, Præterea etiamſi ejusmodi perſonæ ſint, quæ ſpeciali foro ex privilegio

vilegio gaudent, quibusve jura ignorare licitum est, de jure suo certiorandæ erunt. v. Strauch. *ad L. p. C. de pactis.* Requisitis hisce observatis pactio hujusmodi unius pœnitentia irrita reddi nequit, quia enim utriusque consensu fit, naturale est, ut eo modo etiam dissolvatur. *L. 35. de R. J.* Judicis consensus necessarius non est, *L. 2. §. 1. de judiciis*, jurisdictione tamen jam præditus sit, quippe quæ a partibus ipsi conferri nequit. *L. 3. C. de jurisdict.*

V. De usu hodierno prorogationis diversissime sentiunt Dd. pars affirmativam, alii negativam tuentur sententiam, utriusque opinionis sectatores magno numero allegat Berlichius, *p. I. concl. 5. n. 31. sqq.* mediam viam incedit Schilterus *in exercit. ad ff ex. 6. §. 23.* postquam enim *in exercit. 1. §. 12.* omnem juris Justinianei in Germania autoritatem in observabilitate collocasset, quia scilicet ex illa ipsa intentione jus civ. admittentis Imperatoris & statuum Germaniæ appareat, voluisse hos, ut omnia ea ex jure Romano observentur, quæ pro diversitate formæ reipublicæ commode observari possunt; formæ reipublicæ omnino repugnare deprehendit, ut ipsorum statuum ac dominorum jurisdictionalium jurisdictio prorogari posse dicatur, quod vero ad meros statuum Magistratus attinet, nec legem in contrarium latam obstare, nec statum reipublicæ respuere, quo minus admitti possit. Equidem non mea facio, quæ de autoritate juris Romani profert Schilterus, sed quod ad prorogationis usum attinet, facile in ejus sententiam discessionem facio. Nam jus civile de proroganda Magistatuum jurisdictione disponit, quæ administratoria tantum, & magis in favorem & utilitatem subditorum introducta erat, atque ideo privatis hæc ratio expediendi juris facile concedi potuit, status vero & domini jurisdictionales subditos homagio obstrictos habent, & dominii non Magistratus jure jurisdictionem exercent, quæ neque suum ac subditorum favorem concernit, hinc facile patet, juris Romani dispositionem plane huc applicari non posse. Prorogatio itaque absque consensu superioris facta, tanquam in ejus præjudicium tendens, locum non habet, præcipue, ut Schilterus loquitur, „cum nec de principum ac dominorum territorialium jurisdictione proroganda Imperator, neque de vasallorum & statuum provincialium ac Landsassiorum Domini territoriales tale quid sancire possint, quia alteri sine facto ipsius, id quod semel jure dominii quæsitum habebat, non citra injuriam auferrent. conf. etiam Andlerus *in jurisprudentia &c. L. I. T. 10. n. 13.*

VI. Videndum nunc, quid de nobilibus immediatis dicendum sit, nimirum an ab eorum arbitrio alienam s. incompetentem jurisdictionem prorogandi facultas dependeat? Equidem si historiam superiorum temporum respicio, extra omne dubium res posita videtur, cum sæpius in controversiis, quæ ipsis vel cum membris sui ordinis, vicinorum imploraſſe auxilium leguntur,

ut

ut causæ cognitionem in se susciperent, cognitamque sententia terminarent; hinc non dubito fore plerosque, qui omnem, quam hac de re suscipio, inquisitionem inanem judicent, aut ad minimum onus mutationem probandi injungant, cum quod olim licuit, & hodie permissum præsumi non sine ratione mihi objiciunt. Sed si penitius rem inspicio, nescio primo an hujusmodi submissiones a nobilibus in causis controversis iis temporibus factæ, recte Romano nomine prorogationis efferantur, malo conventiones austregales vocare, quas tunc maxime in usu fuisse ejus ætatis monumenta testantur, has autem propius ad arbitrorum constitutionem accedere quam prorogationem quis est qui ignoret! deinde sit, fuisse prorogationes, tamen a statu reipublicæ turbido, sub quo factæ sunt, ad pacatum, minime validum trahitur consecutionis filum: propter absentiam enim Imperatorum, & defectum communis alicujus & summi judicii, atque continuas turbas, quæ totam impleverant rempublicam, eam quisque sibi litigandi viam elegerat, quæ sibi tutissima videbatur, quibus difficultatibus hodie omnibus remotis, & sequentibus rationibus obstantibus, sine dubio aliud dicendum erit.

VII. In th. 3. primæ sectionis quibusdam locis ex LL. Imperii prolatis probatum dedi, nobiles Imperii immediate Imperatori esse subjectos. Asserit id etiam Ferd. I. in privilegio contra Landsassiatum, ubi legitur: **Dadurch gemeine Ritterschafft (so uns als Römischen Käyser / und ordentlicher höchster Obrigkeit im heiligen Reich allein ohne Mittel unterworffen) geschmälert** ꝛc. & aliis locis firmare possem, nisi de re, *per totum* Imperium notoria, testimonia proferre, supervacaneum judicarem. Effectus hujus subjectionis præcipue consistit in juris dicendi potestate, tam in civilibus quam criminalibus, quæ Imperatori, vi jurium majestaticorum, & tanquam summo in Imperio judici in omnes immediatos, & ita etiam in nobiles privative, & per modum reservationis competit. Hinc non video, qua ratione LL. Romanorum autoritate, quæ de longe alio casu, ut supra ostensum est, disponunt, adstrui possit, ut nobiles Imperii immediati, qui summæ Imperatoris jurisdictioni immediate, & privative subjecti sunt, prorogatione facta alienum judicem adire queant, vera potius vox est Carlevallii, qui *in Tr. de judiciis tit. I. diss. p. 2. qu. 8. Sect. 2. n. 1203. seqq.* evincit, in hujusmodi casu renunciationem & prorogationem plane locum non habere. Expressis verbis etiam in resolutione Cæsarea *d. 17. Jul. A. 1722.* in causa **Hammersleben** contra **den König von Preussen als Hertzogen zu Magdeburg** emanante legitur, **daß nach Ausweis der Reichs-Gesetze in deren Partheyen Mächten nicht stünde / Kayserlicher Majestät und derer höchsten Reichs-Gerichten** jurisdiction per prorogationes **oder sonsten einigen**

Abbruch

Abbruch zu thun. Applicandum igitur & hic principium illud est, pactis privatorum juri publico non posse derogari, idque eo magis, cum in R. I. nov. §. **beneben sollen** 105. judici, præsidibus & assessoribus Cameræ injungitur, ut in decernendis processibus, rationem primæ instantiæ & austregarum habeant, quæ contra facta sunt, abrogent, & violatores pro arbitrio judicis puniant. In eodem Rec. § **weilen auch** etiam legitur: **dabey wollen wir auf der Stände Suchen und Erinnerungen / uns ins künfftige mit Ertheilung der** privilegiorum de non appellando, **wie auch** electionis fori, **und andere dergleichen / welche zu Ausschliessung und Beschränckung des heiligen Reichs** jurisdiction &c. **ausrinnen wollen / die Nothdurfft vätterlich beobachten** ꝛc. Quod si igitur Imperator cavere vult, ut jurisdictio Imperii suprema nulla in re imminuatur, multo minus a voluntate nobilium dependet, ut per prorogationes tale quid faciant.

VIII. Præterea considerandum est, nobilitatem immediatam, speciale in Imperio corpus, & insignem ordinem constituere, sua sponte itaque sequitur, a singulis membris nihil peragi posse, quo universo ordini iniqua conditio afferatur. conf. Dn. ab Andler *in jurispr. &c. L. I. T. 10. p. II.* §. 7. Hinc cum superiore seculo quædam membra circuli **Gebürg** vicinorum statuum judicia, ad controversias suas decidendas, requirerent, idque, in conventu universali totius ordinis equestris (correspondenz-**Tag**) Mergenthalii habito, proponeretur, literis de dato Mergenth. (11.) 1. Jul. 1651. emissis membra dicti pagi totus ordo dehortabatur, ne in posterum tale quid in præjudicium suum tendens, suscipiant, sed constitutiones Imperii atque statuta & privilegia nobilitatis accurate observent. Hisce adjuncta erat comminatio, ut si quis lites suas coram judicio incompetente tractare continuaverit, salvis juribus Imperatori, & ordini nobilitatis immediatæ in bonis suis fundatis, & e corpore equestri exterminetur. Integras literas vide apud Lunig. **in T. R. A.** *parte spec. Cont. III.* 2. **Absatz** *p. 188.* Quid, quod eo magis abstinere prorogationibus nobiles tenentur, quia in O. Equ. consensu omnium confectis & confirmationibus Imperatorum munitis expresse cautum est: **Es sollen die Adeliche Mit-Glieder einander vor Churfürstlichen oder andern Gerichten nicht fürnehmen / oder beklagen** ꝛc. vid. Ord. Equ. Franc. *p. I. Tit. 13.*

IX. Verum enim vero non omnibus rationes hactenus productæ satisfaciunt, sed contrariam sententiam aliis rationibus stabilire volunt. Primo ponunt, prorogationes nemini inferre præjudicium, cum salvo judicis competentis sive ordinarii jure fiant, nec exinde exemtionem quandam metuendam esse; porro desiderant expressam prohibitionem Juris Civ. Can. Rec. I. aut alterius ordinationis publicæ, denique provocant ad quotidianam contrariam

testantem experientiam, nimirum cum nobiles in Instrumentis obligatoriis foro renunciare, aut electo certo vitæ genere v. gr. si ministri principum, milites &c. fiunt, ipso facto alienam jurisdictionem agnoscere, sive prorogare solent. Quod ad primum argumentum attinet, non equidem negabo, apud Romanos prorogationes Magistratui ordinario damno non fuisse, verum in germania ob mutatum reipublicæ statum aliud dicendum esse supra in th. 5. ostendi. In specie quoad nobiles immediatos, dissentientes ad literas ablego, quas immediatus ordo equestris ad Electorem Fridericum palatinum de A. 1615. exaravit, quas Lunig. in T. R. A. *p. spec. Cont. III. IV.* Absatz *p. 32. n. 8.* exhibet, ibi invenient electorem Fridericum ex prorogationibus a nobilibus, antea factis, jus sibi arrogasse, & ad suum forum tanquam ordinarium trahere voluisse, quod sane sat grave præjudicium est, ut dilucide ab ordine equestri ibidem demonstratur. Secundum argumentum ex locis supra in th. 7. ex Rec. Imp. nov. & ex ordinationis equestris Fr. dispositione, allegato in præc. th. loco refutari potest. Circa ea, quæ de renunciationibus Instrumentis obligatoriis annexis proferuntur, notandum, si clausula generalis adjicitur, daß er vor allen Gerichten solle vorgenommen werden / eam intelligendam tantum esse de judiciis competentibus, teste Mynsingero *C. I. O, 88.* si vero specialis ad certum judicium incompetens directa, nullum eam producere posse effectum, quia per th. 7. & 8. nobiles renunciare suo foro, & alienam prorogare jurisdictionem prohibentur. Injuste E. hoc nobis objicitur, cum non videndum sit, quid fiat, sed quid fieri debeat. Ad instantiam, quam ex eo desumunt, quod nobiles vasalli milites aut ministri aliorum principum fiant, respondeo, id ab antiquo jam nobilibus permissum, neque unquam immediatati eorum præjudicio fuisse, ut ipse Imperator Ferd. I. in Priv wider die Landsasserey concesso, verb. auch ausserhalb dessen / daß etwa einer oder mehr unter ihnen ꝛc. fatetur. Obligatio enim, quæ eos ut vasallos, ministros vel principes ligat, ultra feudum, aut officium extendi nequit, siquidem eorum mentem egredi non debet, sed ad animi sententiam restringenda est. Ceterum hic labori meo finem impono, D. O. M gratias humillimas agens, quod vires huic operi feliciter perficiendo benigne concesserit, simulque etiam rogo, ut Benevolus Lector hac qualicunque opera mea acquiescat.

CONSPECTUS.

SECT. I.

De Foro competente nobilium Imperii immediatorum.

Th. I. Evolutio vocabuli forum, descriptio, est vel competens, vel incompetens; fori competentis definitio. Th. II. Quid significet vocabulum nobilis,

lis, nobilis germani definitio, & quomodo alias nobiles sexti clypei fuerunt dicti. Th. III. Dividuntur nobiles in mediatos & immediatos, simulque in originem nobilitatis immediatæ inquiritur. Th. IV. Ratio tractatinis recensetur, duæ periodi constituuntur, altera de Foro nobilium immediatorum a tempore interregni, ad Cameræ erectionem, altera ab erecto hoc summo tribunali ad nostra tempora. Ratio expediendi juris in interregno usitata recensetur. Th. V. Ratio expediendi juris nobilium soluto interregno usque ad Cameræ constitutionem recensetur. Th. VI. Initium secundæ periodi. Th. VII. Explicatur, qua ratione nobiles rem suam ordinaverint. Th. VIII. Quæritur, an singuli ordinis Equestris pagi necessario speciale privilegium primæ instantiæ ab Imperatore impetrare debeant. Th. IX. Agit de austregis Legalibus, sive ordinationis, & Th. X. De austregis conventionalibus, quæ nobilibus immediatis competunt. Th. XI. In secunda instantia conveniuntur nobiles immediati in Camera, vel judicio aulico. Limitationes de Foro nobilium in prima & secunda instantia observandæ adjiciuntur. Th. XII. Agit de judiciis provincialibus. Th. XIII. Recensentur casus, in quibus ordinarium nobilium Forum cessat.

SECT. II.

De prorogatione Jurisdictionis alterius nobilium Imperii immediatorum.

Th. I. Agit de nomine prorogationis. Th. II. De Definitione & differentiis. Th. III. Divisio traditur. Th. IV. Requisita prorogationis exponuntur. Th. V. Agitur de usu hodierno prorogationis in genere. Th. VI. Quæritur, an nobiles prorogare possint. Th. VII. Denegatur ipsis prorogandi facultas, ratio ptima redditur. Th. VIII. Ratio 2. & 3. profertur. Th. IX. Dissentientium opiniones recensentur, & refutantur.

XIX.

DISSERTATIO DE ORGIINE LIBERTATIS LIBERARUM ET IMPERII CIVITATUM.

PRO LICENTIA defensa à

JOHANNE PHILIPPO HOFFMANN, Wormatiensi.

Heidelbergæ, 1719.